



Disputatio juridica inauguralis de ritu nuptiarum

<https://hdl.handle.net/1874/343321>

6.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E
R I T U N U P T I A R U M ,

FAVENTE D E O T E R O P T . M A X .
Quam

Auctoritate Magnifici D . Rectoris,

M . G E R A R D I d e V R I E S ,

Philosophiæ Doctoris , ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum consensu , Nobilissimaque
Facultatis JURIDICÆ Decretō ,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis ,

Eruditorum examini subjicit

P A U L U S T H E O D O R U S T I X E R A N D E T , A M S T .
Ad diem 18. Aprilis horâ locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ F R A N C I S C I H A L M A , Academiæ
Typographi , c l o I o c x c i i .

*Spectatissimo V I R O
Parenti indulgentissimo,*

**D. FRANCISCO
TIXERANDET,**
Filiali semper amore & reve-
rentiâ colendo, venerando.

E T
D. ARNOLD O
V A N D E N
B O G A E R T,
Avunculo suo plurimi facien-
do.

*Hasce Theses dovoto pectore
& submisso animo
offert & dedicat
PAULUS THEODORUS TIXERANDET,
AUCTOR.*

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

RITU NUPTIARUM.

POSITIO I.



Uum post creatum mundum, Deus, pisces maris & volatilia cœli creaverat ad sese multiplicandum, homini in eundem finem sociam adjunxit, ut expresse Gen. I. vers. 27. & 28. Benedixitque illis Deus & ait crescete & multiplicamini & replete terram; ex quo facile quilibet perspexerit, maris & foeminæ conjunctionem, communiter quidem & à naturâ omnibus animantibus esse insitam, sobolis procreandæ gratiâ in princ. Inst. de jure naturali gentium & Civili; verum ne homines ad imaginem Dei facti, Gen. codem, & lumine rationali à supremo Numine prædicti, ad instar bestiarum & promiscuè utantur istâ conjunctione, naturalis itemque Civilis ratio multa de ea re constituit.

I I.

Ne tamen omnis prorsus methodus invertatur, ac proinde lecturis in concipienda re difficultatem pareat, ipsius rei vocem præmittam: sunt autem inter voces maxime usitatas, *Nuptia* & *Matrimonium*. *Nuptiae* igitur sic dictæ, quod nova nupta pudoris gratiâ sese obnubere & velare solita, teste Sene-

câ in Octaviâ de Poppaea Neroni nubente,

Velata sumnum flammœo tenni caput
per hoc significando, verecundiam *Nuptiis* præcedere debere:

A 2

quod

4 DISPUTATIO JURIDICA

quod Rebeccam etiam Isaac desponsatam fecisse legimus *Gen. cap. 24.*, quæ maritum designatum aperto capite non putabat esse videndum, sed cum is casu fortuito in agro deambulans obvius ei factus fuisset, sublato pallio sese operuit: Sive *Matrimonium* secundum *Gell. lib. 8. cap. 6.* dictum à vocabulo *Matre*, quod Mater in prole gignendā, sustinendā, & fovendā, potiores labores sustineat, cum infans ante partum Matri sit onerosus, in partu dolorosus, post partum laboriosus; aut ideo à *Matre* derivatum, quod *Mater* certa, *Pater* vero incertus esse dicatur *l. 5. ff. de in jus vocando*; ita ut promiscuè fere hæc vocabula *Nuptia* & *Matrimonium* usurpentur, quamvis aliquando, dicendo *Nuptias*, festivitatem & celebritatem Nuptialis diei intelligamus *l. pen. de donat. int. vir. & ux. l. Sam. 24. C. de nup.*

III.

Post nominis Etymologiam, ipsius materiæ, quam tractare proposuit animus, justam definitionem, aut potius descriptionem, præmittere cogitavi; dicendo cum *Modest. l. I. ff. b. t. Nuptias* sive *matrimonium* esse *virum inter & mulierem omnis vita consortium & divini humanique juris communicationem*, aut affirmando quod *princ. Inst. ad b. t.* habetur *matrimonium* esse *viri & mulieris conjunctionem, individuam vita consuetudinem continentem*: quæ adeo nitida & exacta mihi videtur definitio, ut eo nomine tueri mens sit, cum omnes in eâ reperiantur qualitates quæ à justâ definitione expectari possint; dignosci enim facile potest *Conjunctionis* nomine loco generis subintelligi *Contractum*.

IV.

Per vocem *individuam* differentiam inter reliquos *Contractus* ponit quis dubitaverit, cum cæteri *Contractus*, ut mutuo constituuntur consensu, ita etiam dissolvi possint, *Nuptiae* vero non, ineuntium scilicet intentionem intuendo, cum eâ mente ineatur *Matrimonium*, ut solâ morte dirimatur. *Zoes. ad h. t. ex quo liquide patet Nuptias sive Matrimonium per se & naturâ suâ non esse divisibiles*, quia *quod DEUS conjunxit homo*

I N A U G U R A L I S.

homo ne separet: fateor tamen per accidens dari causas aliquas propter quas divortium fieri necesse est l. 8. C. de rep. N. 117. cap. 8. & 9. sed nullo modo inde sequitur, naturam Connubiorum per accidens posse immutari, ac primam intentionem simpliciter ac in se consideratam per accidens posse laedi.

V.

Matrimonium ut videamus quinam possint contrahere & ut Justum l. un. ff. unde vir. & ux. contraxisse possint dici varia extant requisita.

V I.

1. Ut secundum Jura Civitatis Romanæ possint conjungi, requiritur ut sint Cives Romani: nam cum peregrinis & deportatis connubium non est l. 3. C. incest. nup. Ulp. frag. t. 5. & ut sint Liberi; servi enim jure Civili pro nullis habentur l. 32. ff. de R. f. & Contubernium, nullomodo *Nuptias* contrahere dicuntur d. l. C. de incest. nup. itaque servorum conjuges non *Vxores* sed potius *Contubernales* dicuntur l. Thais 41. §. hered. ff. de fideic. liber., & eorum liberi naturales habentur l. Luc. T. 78. §. tres hered. ff. ad Trebell. non autem justi.

V I I.

2. Nec justa ætas à tam arduo & spinoso negotio abesse debet, ne annorum imbecillitate discriminumque dignoscendorum incapacitate, in miseriarum abyssum procrudantur impuberis, quare *Imp.* in *prin. inst. ad. b. t.* matrimonia contrahere permisit, maribus quidem post annum quartumdecimum, foeminis vero post annum duodecimum. In quo plane dissentit jus Canonicum quod pubertatem metitur ex potentia coeundi, non ex annorum numero C. 3. §. fin. x. desp. imp. ideoqne etiam anno duodecimo imo & undecimo jungi matrimonio permittit, modo malitia suppleat ætatem C. de illis 9. C. ult. x. de desp. imp.

V I I I.

Liberorum distincta ætate ad tertium & præcipuum requisitum vergimus, id scilicet est consensus Parentum & eorum quorum in potestate sunt *in prin. inst. b. t.*, cæteroquin injustæ reputantur nuptiæ, & injusti liberi ex his suscepti

DISPUTATIO JURIDICA

l. 11. ff. de statu hom.; consensus tamen ille expressus ut sit non est necesse, nam & tacitus sufficit, qui ob favorem matrimonii ita præsumitur cum scientes contrahi non contradicant. *l. 5. C. de nup.* aut consentiant *l. 7. §. 1. despōns.* *l. 5. C. b. t.*

I X.

Nihil tamen obstat quin præter tantam reverentiam quæ Parentibus debetur, inviti Parentes possint cogi ad consentiendum; nam si, oblatâ liberis honestâ conditione Pater sine justâ causâ dissentiat, aut dotem dare nolit, magistratus partes suas interponet, Patremque causâ cognitâ coget, ad consentiendum in matrimonium *l. 19. ff. de riu nupt.*

X.

Si autem Parentum consensus præcedere debeat in *prin. inst. b. t.* quanto magis ipsorum contrahentium consensus aut expressæ *Can. licet x. despōns. duor.* aut tacite *Cap. 14. x. de spon. cap. un. x. de desp. imp.* intervenire debet, cum nec ullus Contractus, (nendum matrimonium) fine consensu intelligi possit *l. 1. §. 3. de palt.*

X I.

Nec sufficit quovis modo consentiamus sed *l. in hoc contractu consensus omnino debet esse liber l. non cogitur ff. b. t. l. neque 14. C. b. t.* ne liberum arbitrium quo benignus ille Deus nos gratificari voluit, ab unius hominis malitiâ pendeat ut infringatur: idcirco omne matrimonium per vim & justum metum contractum ipso jure est nullum *Can. l. 14. cap. significavit. Covar. de matr. p. 2. cap. 3. n. 5. l. Titia ff. de V. O. l. 12. §. fidos ff. sol. mat.*

X I I.

Sciendum præterea est errorem circa essentiales matrimonii qualitates, (veluti circa potentiam coeundi aut necessitudinem) & errorem, qui consensum impedit (ut si quis erret in personâ putans Titiam esse cum qua contrahit, cum sit fempronia) matrimonium vitiare, *l. si per errorem 15. ff. de juris d. l. 9. ff. de contr. empt.*

X I I I.

Dicere superius cœpimus de illis qui naturâ impediuntur
ut

I N A U G U R A L I S.

7

ut sunt impuberes *in prin. inst. b. t.* superest nunc ut ulterius pergamus ad illos qui aut naturā aut lege matrimonium contrahere prohibentur: naturā igitur à nuptiis abstinere jubentur mente Capti, furiosi, *I. Patre 8. ff. de his qui sunt sui vel ali.* Ebrii quorum mens in totum exulat, quia mente captis & furiosis non sunt absimiles, qui prorsus contrahere nequeunt *I. 1. §. furiosum & §. seqq. ff. de obligat. socii Consil. 47. vol. 3.* & impotentes *I. 1. incanis 10. C. de repud.*; Lege vero & Divinā *Gen. 2. Levit.* & naturali, atque adeo omnium gentium, prohibentur nuptiæ ratione cognitionis inter ascendentēs, (id est qui nos genuerunt) & descendētes, (id est qui à nobis geniti sunt) in infinitum *I. nup. 53. ff. b. t. I. nemini 17. C. de nup.* ita ut nefarias, (id est de quibus fari non licet propter conjunctionis turpitudinem) *Zoes. ad b. t.* contraxisse dicantur, si Parentes jungantur filiis vel ex iis natis in infinitum *d. I. nuptia 53. Sc.*

X I V.

Quod apud Juris interpretes strictē adeo observatum, ut etiam illos, qui per adoptionem Parentum liberorumque loco sibi esse cäperint, matrimonio posse jungi negarint, imo & dissolutā per emancipationem adoptione *I. quin etiam 55. b. t.*; Cum, etiamsi adoptionis jura per emancipationem solvantur *I. in omni 13. de adop.*, duret nihilominus prohibitio propter durantem reverentiam *Perez. Inst. ad b. t.*, in nuptiis enim naturale jus, pudor, & honestas inspicienda sunt *I. 197. ff. de R. J.*

X V.

Inter eas autem personas, quæ ex transverso gradu cognitionis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta *princ. Inst. b. t.* quia non in infinitum tales, sed Jure Civili inter Collaterales (id est, inter eos qui neque nos genuerunt neque à nobis geniti sunt, sed radicem & stirpem nobiscum habent communem, ut Frater, Soror Amita &c. *Mjns. §. inter eas ad b. t.*) solummodo Nuptiæ prohibentur ad quartum usque gradum exclusive, ita ut satis inde pateat incestas esse Nuptias ac proinde vetitas quæ inter fratrem &

soro-

fororem contrahuntur *l. nemini C. b. t.* sive ab eodem Patre eademque matre nati fuerint sive ab alio tertio eorum.

X V I.

Jus vero Can. arte id solebat comprehendere cum ad gradum usque septimum inclusivè olim sese extendebat prohibitiō *C. progeniem & consang. 35. q. 3. gl. 1. b. x.* quod deinde mitigatum legimus *C. non debet de consang. & aff. x.* ubi tantum fit prohibitio usque ad quartum gradum inclusive.

X V I I.

Longe etiam diversa ratio habetur in adoptatis, qui inter Collaterales eo usque tantum impediuntur quo manet adoptio, uno enim alterius emancipato possunt matrimonio jungi *l. per adoptionem 17. b. t.*, in quo diversitatis ratio hæc esse videatur; quod etsi ascendentis adoptivi emancipientur, durent tamen adhuc patriæ potestatis reliquæ: inter transversales vero nullum sit jus Patriæ potestatis, cuius reliquæ durare possint: *Myns. §. inter eas ad b. t.*

X V I I I.

Faterit tamen cogor dari casus quibus Jure Civili inter transversales Nuptiæ prohibentur in quarto gradu, sic ut nec Neptem fratri vel sororis quis ducere possit quamvis sint quarto gradu *Inst. §. Fratris vel sororis b. t.* quod mirum non debet videri, cum prohibitio sese extendat ad eas personas quæ Parentum liberorumque loco sunt *l. per adopt. 17. §. 2. ff. b. t.* & quidem in infinitum *l. Nuptia 53. ff. b. t.*

X I X.

Postquam visum fuit à quibus matrimonii abstinendum sit ratione cognationis, videre nunc est an aliquæ sint veritæ ratione affinitatis, quam *Myns.* describit esse diversarum cognationum per Nuptias copulationem *l. 4. §. 3. ff. de grad. & aff. vel Civile vinculum:* (quia affines jungi *Paulus ait l. aut affinitate 22. ff. de procur.*) ex Nuptiis sponsalibusve descendens *Myns. Inst. §. aff. adh. t.*

X X.

Affinitatis itaque gradus vere & proprie loquendo sunt nulli, quia affines ab affinibus non generantur *l. 4. §. 5. ff. de grad. & aff.* nihil tamen obstat quo minus quosdam quasi gradus af-

I N A U G U R A L I S. 9

dus affinium numeremus, nam *l. 9 d. t.* eo gradu quispiam dicitur cognatus marito, quo gradu sit affinis uxori, ac proinde differentiam aliquam in contrahendis nuptiis, secundum graduum fictitiam dinumerationem ponamus.

X X I.

Dico igitur matrimonium inter eos tantum affines prohiberi qui Parentum sibi Liberorumque loco sunt ut sacer socrus Gener &c. modest. *l. non facile 4. §. & quidem 6. ff. de grad.* & affin. inter transversales vero nulla erat jure veteri prohibitio, & poterat aliquis fratri sui defuncti uxorem matrimonio sibi jungere *l. 8. Cod. de incest. & inut.* multo magis Patrui vel avunculi uxorem aut Consobrini, verum hodie correctum & mutatum est per *l. ult. & pen. Cod. de incest. & inut.* quoniam affinitate inter se sunt facti fratres.

X X I I.

Pergendum est ad nuptias quæ legibus vetitæ sunt ut est Polygamia simultanea, *l. 2. Cod. de incest. l. eum 18. Cod. ad L. Juliam de adul.*, sive nuptias eodem tempore, cum diversis uxoribus contractas *Vin. inst. ad b. t.* quæ juri divino, naturæ ac gentium legibus ita obversatur, ut omnem aliam Conjunctionem, præter justas nuptias, in unâ vel diversâ specie esse detestandam asserat *Myns. inst. b. t.* amor enim qui debetur uxori, propter quam, ut sacræ litteræ ajunt, ipsi Parentes deserendi, est indivisibilis cum duo dicantur in carne unâ *Gen. 2. v. 24.*

X X I I I.

Huc etiam referri videmus Concubinatum *Zoes. ad b. t.* cum finalis causa longe sit diversa Concubinam inter & veram uxorem. Uxor enim causâ matrimonii sumitur Concubina vero causâ consuetudinis. *Zoes. ad b. t.* ita ut uxor dicatur dignitate distare à Concubinâ *l. item Legato 49. §. 4. infra de Legat. 3.*

X X I V.

Tutores etiam vel Curatores Liberive eorum, cum pupillâ vel adultâ ante redditam suæ administrationis rationem nuptias contrahere prohibentur, ne eo pacto rationum red-

DISPUTATIO JURIDICA

ditio invertatur *l. Tutor.* 36. & seq. *l. Senatus Con.* 59. & seq.
ff. b. t. l. 1. Cod. de interdict. matr. ratio est in suspicione fraudis:
 quia plerumque à Tutoribus vel Curatoribus ejusmodi ap-
 peterentur nuptiæ, ut fraus administrationis tegeretur, & re-
 stitutio, quæ Pupillo posset competere ex fraudulentâ gestio-
 ne, impediretur *Zoes. n. 20. ad b. t.* quæ suspicio purgatur si
 Pupilla vel adulta talibus nuptiis a Patre, cum decederet,
 fuerit destinata; *l. Tutor.* 36. *b. t.* vel à Principe fuerint Im-
 petratæ *l. 7. Cod. de interd. matr.*

XXV.

Servos silentio involvam, cum superius de illis me dixisse
 memini, sed ad reliquas personas pergam quibuscum contra-
 here matrimonium jure veteri non licebat; ratione ergo di-
 ginitatis, Senatori Libertinam aut Plebejam ducere pro-
 hibetur *l. 44. b. t.* & ratione officii, Praesidi, vel qui officium
 in Provincia administrat, Uxorem Provincialem ducere inter-
 dicitur *l. si quis 38. l. qui in Provincia 57. ff. b. t. l. un. Cod. si*
quacumque pred. potest. quæ cum hodie non obtineant plenus
 persequi non est necesse: sed ista scire Cupientem remitto
 ad Groenw. de *ll. abrog. ad t. Cod. ut supra.*

XXVI.

Positâ efficiente causa ad formam procedamus quæ varia
 olim fuit *Vlp. b. t. LL. 9. 11. 25. & 26. Gell. 18. c. 6.* & magna
 pompâ fieri solebat *l. 15. ff. b. t.* qui omnes modi cum sint anti-
 antiquati *l. pen. de donat. int. vir. & ux l. si donat. 22. Cod. de nup.*
 hodiernam formam exponere cogitavi; quæ etiam sine ullâ
 formâ fieri potest *d. l. 22.*

XXVII.

Ut tamen dici possit moribus ritè factum fuisse, requi-
 runtur tres proclamationes, diversis diebus; quas etiam una
 die propter urgentem necessitatem posse fieri mores &
 consuetudo approbarunt; ut fiat publicè & coram Ecclesiâ
C. 30. x. quest. 1. C. 2. & 3. x. de Cland. nup. aut saltem co-
 ram cætu aliquot fideliū, Ecclesiam representante *C. fin. x.*
de Cland. desp. Schurff. conf. 1. n. 8. cent. 8. deinde necesse est ut
 Parochus sive minister nubentibus benedicat *C. fin. 28. x. quest. 1.*

cap.

I N A U G U R A L I S.

cap. aliter 30. quest. 5. nam Clandestinas Nuptias contrahere
Jure Improbatur t. t. de Cland. nup.

X X V I I I.

Sed ut strictius hæ Imp. constitutiones observentur, sanctione aliqua adversus prætergredientes sunt: munitæ, quare vult, ut tales Nuptiæ sint ipso Jure nullæ, sive non subsistant, sicut nihil quodcumque contra leges factum est l. 5. Cod. de leg. ac proinde leges nec maritum nec uxorem agnoscent, ipsorumque coitus matrimonii nomen non meretur, imo & omne quod perceptum est fructuum nomen ab eis auferendum est, Mynf. ad h. t., dos enim sine matrimonio esse non potest l. 3. ff. de jure dotum, sed quodcumque dotis nomine aut donationis propter nuptias ob injustum matrimonium est datum, sit caducum, & fisco vindicatur l. 4. Cod. de incest. nup. l. 52. necess. l. dote 61. h. t. l. 32. §. ult. de donat. int. vir. & ux. & filii ex tali coitu natu pro vulgo quæsitis & spuriis habentur l. vulgo ff. de statu hom. l. 3. C. solut. matr.

X X I X.

Sunt & aliæ pænæ puta infamiaæ notam perpetuam, bonorum publicationem, in exilium relegationem, si sint nobiliores; verborum inflictiones & Castigationes si plebeji fuerint, quæ pro delicti varietate constitui debent, & Judicis arbitrio relinquuntur cum omnes fere pænæ hodie dum sint arbitriae.



C O.

COROLLARIA.

I.

Nemo ejusdem hæreditatis partem adire partem repudiare potest.

II.

Nuda pacta non pariunt actionem sed exceptionem tantum.

III.

Usucapio non pugnat cum naturali aequitate.

IV.

Minor in delictis non restituitur in integrum.

F I N I S.